

mentaliter ab illa voce Christi imperantis: *Obmutesce, et exi ab homine*; virtute namque divina potuerunt illa verba quasi per impulsu dæmonem ejicere, et similiter facere ut homo obsessus a dæmone non posset linguam movere, aut labia ad nutum dæmonis, sicut antea, et per hoc causabatur silentium dæmonis.

LXIII. Loquendo autem de ultimo miraculo deambulationis Christi super aquas, non possum non mirari ingenium istius moderni, qui in hoc miraculo reperiat majorem repugnantiam, quam in aliis, ut fiat ab humanitate Christi tamquam physico instrumento; nullum enim est in quo magis aperte ostendi possit nostræ conclusionis veritas; quolibet enim illorum modorum fuerit facta illa ambulatio, concurrere potest humanitas physice ad illam; nam esto haberet tunc corpus illud dotem agilitatis, cum hanc non haberet virtute propria, sed divina per modum transeuntis, miraculum fuit illam habere corpus passibile, atque adeo anima ejus concursus habuit physicum in ordine ad causandam talem agilitatem in corpore.

LXIV. Si vero secundo modo fuit factum miraculum per hoc quod Deus sustentaverit corporis molem, etiam concurrebat physice humanitas, quia illud non fuit factum per suspensionem concursus divini, ut ille auctor suspicatur, sed imprimendo in illo corpore impetum aliquem ad modum, quo Angelus lapidem detineret in aere.

LXV. Si tertio modo fuit factum, concurrebat etiam physice humanitas, quia non per subtractionem concursus divini, sed per aliquam compressionem aquæ fiebat, ut Christus non mergeretur super aquas ambulando; hoc enim optime divina virtute poterat fieri, quamvis non naturaliter. Ego autem existi-

mo secundo modo factum fuisse; nam Christus aliquantulum gravitabat tangendo aquam, cum vestigia in aquis imprimeret, et aliquantulum aquæ ipsæ difflebant, ita tamen paululum ut non submergeretur, sed solum vestigium aliquod faceret. Itaque in hoc miraculo, et in quolibet alio a Christo Domino patrato, aut justificatione impii semper reperitur aut contactus corporis cum subjecto miraculi, aut vox, et imperium, aut saltem actus voluntatis humanæ Christi, quibus virtute divina operando miracula physice instrumentaliter operari poterat humanitas.

ARTICULUS III.

Utrum humanitas Christi Domini ad patranda miracula, et justificationem physice instrumentaliter habuerit aliquam virtutem permanentem habitualiter in ipsa?

I. Pro perfecta decisione hujus dubii, duo a nobis determinanda sunt in præsentia. Primum, quidnam sit virtus illa, qua humanitas efficienter concurrat ad justificationes, et miracula; sitne qualitas aliqua superaddita, vel motio tantum divina: secundum autem, an sit hæc virtus permanens habitualiter, qua Christi humanitas uteretur pro suo libito, quod est præcipuum quæsitum in hac dubitatione.

PRIMA CONCLUSIO.

II. Potestas faciendi miracula, quam habet humanitas Christi, est aliquid reale, et creatum. Prima pars conclusionis probatur, quia potestas ista convenit humanitati, seclusa quacumque operatione intellectus, et est magna illius perfec-

tio; ergo est aliquid reale. Confirmatur, quia talis potestas data fuit Apostolis, ut patet ex illo Marci ultimo: *In nomine meo dæmonia ejicient, et super ægros manus imponent, et bene habebunt*, qua potestate D. Petrus umbra sua sanabat infirmos; sed in illis erat virtus realis; ergo a fortiori in Christo, in quo eminentius erat talis potestas, utpote in cælo et in terra.

III. Secunda pars conclusionis probatur, quia potestas ista faciendi miracula non erat omnipotentia simpliciter, nam ut diximus articulo primo, impossibile est eam communicari creaturæ; ergo erat aliqua potestas creata. Patet consequentia, quia ens exacte dividitur per creatum, et increatum.

SECUNDA CONCLUSIO.

IV. Impossibile est, quod potestas humanitatis Christi, aut alicujus creaturæ ad facienda miracula sit aliqua qualitas completa materialis, aut spiritualis per modum permanentis, aut transeuntis. Hæc conclusio est communissima inter theologos hujus temporis, præcipue Thomistas, quam tenet Cajetanus in præsentia, et infra quæst. LXII, art. IV; magister Medina hic; Soto in IV, distinct. I, quæst. III, art. IV; magister Bagnez I part. quæst. XLV, art. V, circa finem; magister Vincentius in relectione de gratia Christi, pagina 822; Zumel 4-2, quæst. CXXII, art. I, disp. III, propositione II; Bellarminus, tom. III, lib. II de sacramentis, cap. XI; et Suarez disp. XXXI, sect. V; ubi affirmat doctrinam istam esse contra aliquos antiquos Thomistas.

V. Probatur primo conclusio ex D. Thoma 2-2, quæst. CLXXVIII, art. I ad primum, ubi ait esse impossibile dari aliquam qualitatem ad facien-

da miracula. Nec sufficit dicere, quod D. Thomas tantum negat qualitatem per modum permanentis, non autem per modum transeuntis (ut Capreolus dicit) quia qualitas illa non potest produci a Deo taliter, quod sit permanens; ergo nec etiam taliter, quod sit transiens; aut e converso si potest produci ut transiens, etiam ut permanens. Patet consequentia, quia talis qualitas esse non posset transiens ad modum rei successivæ, ita ut habeat partem post partem, sed necessario deberet esse tota simul pro illo brevi tempore, quo effectum causabat. Semel autem producta jam non repugnaret, quod permanenter a Deo conservaretur, sicut non repugnabat visionem claram Dei esse communicatam D. Paulo per modum transeuntis, ut in illo esset permanenter.

VI. Secundo, probatur conclusio, quia quæcumque qualitas creata debet eo ipso esse in subjecto creato, et consequenter certis legibus, et limitibus debet esse clausa, atque determinata certo, et limitato modo operandi; sed virtus de se factiva miraculorum non subjicitur alicui legi, neque coarctatur certo modo operandi; ergo produci non potest a Deo. Major probatur, nam virtus illa necessario esset accidens, et consequenter necessario deberet dependere a subjecto in essendo, et in operando, ita quod sicut habet esse determinatum, etiam habeat modum operandi ex natura sua determinatum; implicat enim a forma determinata, et limitata producere virtutem factivam illimitatam, et infinitam. Minor autem probatur, quia facultas miraculorum est potestas, et virtus supra omnem ordinem naturæ, et supra modum operandi naturalem.

VII. Quod si dicas legem illius qualitatis, et modum operandi esse

non servare legem, neque modum, sicut D. Bernardus ait, quod modus amoris supernaturalis est sine modo diligere, contra, quia non teneri legibus, nec claudi limitibus solius Dei est; ergo communicari non potest alicui creaturæ, eo enim quod sit creatura certis limitibus, et legibus subjicitur non solum in essendo, sed etiam in operando. Antecedens probatur, quia solus est auctor naturæ infinitus supra omnes res creatas, et creabiles; ergo illius solius est non teneri legibus, aut coarctari terminis.

VIII. Quod si rursus respondeas qualitatem illam cum sit supernaturalis ordinis non coarctari legibus naturæ, aut ordinis inferioris, sed esse supra omnes illas, atque adeo talem reperiri in anima Christi, contra arguitur: Quia etiamsi qualitas absoluta esset ab ordine rerum naturalium, non esset absoluta ab ordine rerum supernaturalium, sed in tali genere esset determinata, et certis limitibus clausa, sicut sunt omnes aliæ qualitates supernaturales; ergo esse non posset virtus factiva miraculorum de se. Probatur ista consequentia, quia potestas miraculorum non solum se extendit ad res naturales, sed etiam ad res supernaturales, ita ut transmutare possit non solum res naturalis ordinis, sed etiam res supernaturalis ordinis, imo omnes creaturas factas, quæcumque illæ sint; ego operatio ejus nullis legibus naturalibus, aut supernaturalibus coarctaretur, et limitaretur, et consequenter infinita simpliciter esset in operando, quod est implicatio contradictionis, cum creatura sit, et ideo D. Thomas negat formam istam permanentem operativam miraculorum esse possibilem; sicut negat esse possibile, quod omnipotentia simpliciter communicetur creaturæ, in quibus verbis os-

tendit omnipotentiam divinam esse solam causam miraculorum principalem, ita ut creatura per formam aliquam sibi inhærentem nullatenus illa causare possit.

IX. Confirmatur hæc ratio, quia gratia miraculorum, et operatio virtutum se extendit ad omnia, quæ possunt fieri supra naturam; ergo qualitas illa si daretur, posset se extendere ad omne miraculum, et esset universale principium respectu omnium miraculorum; sed hoc implicat contradictionem; ergo etiam dari talem qualitatem ad miracula. Prima consequentia probatur, quia talis qualitas miraculorum operativa non daretur ad istud, vel ad illud opus miraculosum in particulari, sed daretur universaliter ad omnia miracula faciendâ. Quod autem hoc implicet contradictionem probatur, nam in illo casu talis qualitas nullis legibus rei creatæ esset subjecta, quod est proprium Dei, et ultra hoc cum esset potestas immutandi omnem creaturam tam naturalem, quam supernaturalem, etiam posset immutare seipsam, quod esse implicationem de se patet.

X. Forte dices huic argumento, quod illa qualitas miraculorum non erat respectu omnium miraculorum possibilem, sed solum respectu hujus miraculi in particulari, verbi gratia, multiplicationis panis in deserto, aut alterius.

XI. Sed responsio ista omnino frivola est; tum, quia juxta istam solutionem ad quodlibet miraculum in particulari ponenda esset distincta qualitas numero in humanitate Christi, quod est omnino superfluum; tot enim entitates multiplicare sine fundamento ridiculum videtur; tum etiam, quia juxta eandem solutionem non diceretur illa qualitas potestas miraculorum, sicut potestas characteris sacerdotalis

non dicitur potestas miraculorum, sed tantum potestas ad convertendum panem in corpus Christi, et vinum in sanguinem, hoc est, ad consecrandum, quia ad illud solum extenditur; ergo si illa qualitas solum esset ad hoc miraculum in particulari, non diceretur potestas miraculorum; illa namque deberet esse universale principium ad omnia miracula patranda tam circa naturalia, quam supernaturalia.

XII. Tertio, probatur specialiter, quod non detur illa qualitas ad producendam gratiam, quia vel talis qualitas potest ex natura, et vi sua producere gratiam, vel non: si non potest impertinenter ponitur, si quidem oporteret, quod talis qualitas elevaretur ad talem effectum per aliam, et sic in infinitum, nam eadem ratione, qua ista qualitas ponitur ad elevandam naturam humanam Christi, ut possit præstare effectum, quem ex se ipsa non posset, ita similiter, si illa qualitas ex se ipsa non potest producere effectum, deberet elevari per aliam, et sic in infinitum. Si vero dicatur qualitatem illam ex se ipsa, et nullo alio superaddito posse producere gratiam, sequeretur talem qualitatem esse perfectiorem formam, quam ipsa gratia, cum gratia dependeret ab illa tamquam a principali causa efficiente, atque adeo gratia non esset participatio divinæ naturæ secundum totam plenitudinem divinæ naturæ, quod est falsum: dari ergo non potest qualitas aliqua, quæ sit de se causativa gratiæ.

XIII. Confirmatur, nam talis qualitas esse non potest corporea, neque incorporea; ergo non est dabilis. Probatur antecedens, nam si esset corporea non posset causare aliquid spirituale, nisi rursus per aliquid superadditum elevaretur: si vero sit spiritualis, recipi non poterit in subjecto corporeo, ut in cor-

pore Christi, voce ejus, aut contactu. Nec est simile de motione divina, quam nos partim asseruimus articulo præcedenti, et ex professo dicemus conclusione quarta, quia motio illa divina non indiget altera motione ut elevetur, sicut indiget ista qualitas; et illa motio tantum est quædam delatio imperii divini ad subjectum miraculi.

XIV. Quarto probatur, quia non est assignabile quodnam sit objectum adæquatum talis qualitatis; ergo illa non datur. Probatur antecedens, quia si daretur aliquod objectum talis qualitatis, deberet esse immutatio omnis creaturæ tam naturalis, quam supernaturalis, aut omne illud, quod non implicat contradictionem; sed hoc solum est objectum divinæ omnipotentiae propter ejus infinitatem: ergo non est objectum hujus qualitatis. Confirmatur quia si objectum hujus qualitatis esset immutatio omnis creaturæ, sequeretur quod quælibet creatura subderetur huic qualitati, et haberet omnis creatura potentiam obedientialem respectu illius; hoc autem implicat contradictionem; ergo et antecedens. Sequela probatur, quia qualitati illi factivæ miraculorum debet correspondere aliqua potentia passiva; sed non est alia, nisi potentia obedientialis, ut scilicet in illis fiat quidquid talis potentia activa ordinaverit; ergo, quod autem hoc fit omnino impossibile, patet, quia isto modo solum ordinantur creaturæ, et subduntur Deo tamquam creatori.

TERTIA CONCLUSIA.

XV. Potestas faciendi miracula non est in humanitate Christi aliqua qualitas incompleta, neque materialis, neque spiritualis. In hac conclusione non ita conveniunt docto-

res, sicut in præcedenti, nam aliqui sunt, qui nobiscum sentiunt de qualitate completa negando illam, et nihilominus concedunt qualitatem incompletam. Sic videtur sentire Capreolus, Paludanus, et Ferrara; imo Zumel loco supra citato, et magister Vincentius in sua relectione, quæst. vi, pagina 822, ubi ait quod quando D. Thomas 2-2, quæst. CLXXVII, art. 1 ad primum, ait esse impossibile dari illam qualitatem, intelligit (inquit Vincentius) de potentia Dei ordinaria, non tamen de potentia Dei absoluta. Quidquid ergo sit de opinantibus contra istam nostram conclusionem, illa probatur fere omnibus rationibus, quibus præcedens conclusio. Quare auctores modo citati, aut alteram qualitatem completam debent fateri, aut si illam nobiscum negant, negare etiam debent hanc qualitatem incompletam.

XVI. In speciali ergo breviter probatur conclusio, quia qualitas ista incompleta ex se ipsa non potest causare gratiam, aut miraculum; ergo indiget alia elevatione per alteram qualitatem, vel completam, vel incompletam. Si per completam, jam incidunt in alteram sententiam contra quam secunda conclusione dimicavimus, et ipsi auctores impugnant: si per incompletam; ergo dabitur processus in infinitum, quia etiam illa qualitas incompleta secunda non erit de se sufficiens sine nova elevatione. Antecedens autem probatur, nam ideo auctores hujus qualitatis incompletæ illam ponunt incompletam, ut salvent eam non esse causam principalem gratiæ, sed principium instrumentale indigens elevari a Deo ad causandam gratiam, quam ex se causare non posset; ergo illa de se causare non potest miraculum, aut gratiam, nisi per aliquid aliud illi superadditum elevetur.

QUARTA CONCLUSIO.

XVII. Humanitas Christi constituitur in actu primo in ratione instrumenti physici effectivi gratiæ, et miraculorum per virtutem creatam, quæ est motio, aut elevatio Dei, seu usus passivus receptus in ipsa humanitate, quo movetur ad producendos effectus supernaturales. In hac conclusione conveniunt multo plures ex Thomistis, præcipue hujus temporis, quam existimo esse D. Thomæ infra quæst. LXII, art. 1 et IV, loquendo de sacramentis, et quæst. LXVIII, art. IV, et alias sæpe magister Soto in IV, dist. 1, quæst. III, art. IV; Ferrara IV contra gentiles, cap. LVI; Cajetanus locis citatis, super D. Thomam Zumel 1-2, quæst. CXII, art. 1, disput. III, propositione IV, V, IX et X; Cabrera in præsentī disputatione IV, conclusione quarta.

XVIII. Pro intelligentia tamen nostræ conclusionis, antequam probetur, prius prænotandum est, motionem, seu elevationem dicere multiplicem respectum. Primo enim elevatio respicit agens, quod elevat instrumentum, quod quidem est causa principalis superior agens virtute propria communicans suam virtutem rei, quæ elevatur: secundo, elevatio respicit illud, quod elevatur, quod quidem præsupponitur elevationi, quocirca res, quæ nondum est, elevari non potest, quia elevatio non est creatio, aut productio rei, sed istam præsupponit existentem: tertio, dicit elevatio illud, quo res elevatur, quod quidem nihil aliud est, quam motio quædam, qua res ex aliquo esse ad aliud elevatur, et constituitur in termino, qui est ultimum elevatum esse: quarto, respicit elevatio illud ad quod res elevatur, quod quidem est terminus

seu finis ipsius elevationis. Aliquando autem res solum elevatur ad esse, ut quando homo elevatur per gratiam ut sit filius Dei; gratia enim non est forma operativa, nec datur ad operandum immediate: aliquando autem elevatur res ad operandum tamquam causa principalis, ut quando elevatur intellectus noster, aut voluntas per fidem, et charitatem ad credendum, et amandum Deum. Aliquando vero elevatur ad operandum tamquam causa instrumentalis, ad quam quidem elevationem etiam est necessarium ut in re elevata causa principalis ponat virtutem aliquam, qua constituatur in ratione instrumenti activi, et hanc nos dicimus esse motionem.

XIX. Secundo, advertenda est differentia, quæ versatur inter causam principalem, et instrumentalem, quod principalis causa cum operetur per propriam formam, constituitur in actu primo in ratione causæ prius tempore, imo multo tempore antequam in actu secundo operetur, nam ignis per suam formam est causa principalis alterius ignis, etiam quando actu non comburit; et voluntas per habitum charitatis est constituta in actu primo sui actus secundi, etiamsi in actu non diligat; idem reperitur in aliis causis principalibus secundis, sive sint ordinis naturalis, sive ordinis supernaturalis. Causæ vero instrumentales constituuntur per virtutem illis communicatam a superiori agente, a quo elevantur; cum enim producat non virtute propria, sed alterius, scilicet principalis, tunc constituitur in actu primo quando accipit istam virtutem non sic ut principali communicatam, sed sicut inferiori instrumentali. Quare causæ instrumentales ut sic tantum constituuntur in ratione talium pro illo tempore, aut instanti temporis, quo in-

strumentaliter producunt effectum, verbi gratia, quando humanitas elevatur ad justificationem impii, quæ in instanti fit, tantum habet virtutem communicatam a superiori agente pro illo tunc quo constituitur in esse instrumenti effectivi gratiæ. Nihilominus in illo eodem instanti temporis distingui debet duplex instans naturæ quantum ad præsens attinet, et in priori instanti naturæ constituitur humanitas Christi in ratione instrumenti ut sic in actu primo, ut in alio instanti naturæ posteriori producat instrumentaliter gratiam in actu secundo.

XX. Ex quo patet explicatio nostræ conclusionis; illam namque elevatio, seu motio divina, qua constituitur humanitas formaliter in ratione instrumenti physici, ut sic, est quædam virtus transiens, et fluens, non autem permanens, sicut est virtus causæ principalis. Probatur ergo conclusio ex supra dictis, quia humanitas Christi non constituitur in ratione instrumenti physici per qualitatem aliquam completam (ut diximus conclusione secunda) neque etiam per incompletam (ut diximus conclusione tertia) ergo per motionem divinam, et explicatam in hac conclusione. Patet consequentia a sufficiente divisione; supponimus enim pro nunc non constitui in ratione instrumenti physici per potentiam obedientialem activam contra quam inferius Deo dante disputabimus.

XXI. Confirmatur auctoritate D. Ambrosii libro de sacramentis, capite V, ubi eodem modo videtur ponere virtutem instrumentalem in sacramentis, quo nos posuimus in humanitate Christi, et ratione virtutis ait contineri in sacramentis gratiam tamquam in causa instrumentali, inquit enim: « Non omnis aqua sanat, sed aqua, illa, quæ habet virtutem Christi, » hoc est, per